

36042, II, 2, 9

57/100

Ordinationes

pro

S. Missionibus

Ord. ff. Min. s. Francisci

Provinciae S. Crucis.



Ljubljana 1900.

Litteris Blasnik. – Sumptibus Nom. Provinciae.



In Nomine Domini. Amen.

§ 1. De acceptatione Missionis illiusque Praeside.

1. Missionem aliaquam acceptare, Patres Missionarios eligere et tempus Missionis assignare competit soli Ministro Provinciali.

2. Cuilibet Missioni per P. Provincialem designatur unus ex P. Missionariis, qui respectivo parrocho nota facit omnia, quae necessaria sunt ad Missionem fructuose peragendam.

3. PP. Missionarii sermones dicendos ex integro conscriptos habeant, teneanturque P. Praesidi obedire ejusque monitis et correctionibus obtemperare in omnibus, quae ad opus Missionis spectabunt, maxime in ordinis diurni constitutione et fideli observatione.

4. Ipse vero P. Praeses non sit quasi „*dominans in cleris*“ nec „*innixus prudentiae suae*“ sed cum humilitate et charitate fratres suos dirigat pro fructu Missionis quam uberiori comparando.

§ 2. De spiritu orationis et devotionis PP. Missionariorum.

1. PP. Missionarii attendant, quod super omnia desiderare et habere debent spiritum orationis et devotionis; quippe qui in Missionibus praedicandis parvipendunt et negligunt orationem, in vanum laborant.

2. Augustissimum praeprimis Missae Sacrificium quam maxima semper devotione tam interna quam externa celebrare satagant.

3. Vespere ante coenam in communi, modo in Provincia consueto, visitent sanctissimum Sacramentum, tum, ut adeant thronum gratiae, misirecordiam et gratiam petentes in auxilio opportuno, tum pro aedificatione fidelium.

4. Tamquam genuini filii S. P. Francisci sint in iudicio recti, in consilio providi, in jubendo discreti, in agendo strenui, in loquendo modesti, in zelo sobrii, in hospitio non dissoluti, in convivio non effusi, ubique et in omnibus circumspecti. Non litigent, neque contendant verbis, sed sint mites et pacifici.

5. Recordentur exempli Seraphici Patriarchae ideoque honore praeveniant parochum et reliquum Clerum nec se immisceant rebus, quae ad finem Missionis non spectant. Caveant ab omni stultiloquio aut scurrilitate; maximopere vero devitent, ne publice agant de iis, quae in sede confessionali audita vel facta sunt, etiamsi nulum videatur esse periculum fractionis sigilli. Mensa sit sobria; quoad poculenta in mensa sumenda memores sint sobrietatis et mortificationis in fratre minore prae ceteris debitae.

6. Conversationes non necessarias potissimum cum mulieribus sive in confessionali, sive extra omnino devitent et fugiant

§ 3. De praedicatione.

1. Nemo nostrum ignoret verba S. P. N. Francisci ad praedicatores: „*Moneo et exhortor eosdem fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annuntiantes eis vitia et virtutes, poenam et gloriam*“ quae prae ceteris attinent ad Missionarios.

2. Diligentiam igitur adhibeant in praeparatione, tum remota in conscribendis sermonibus, tum proxima, pro qua per horam ante praedicationem mente et corde se disponere studeant. Propriam agnoscant insufficientiam atque protestantes, se nihil aliud velle et quaerere, nisi gloriam Dei et salutem animarum, cum fiducia se erigant, memoria pervolvant sermonem dicendum, ut divina adjuvante gratia loquantur cum virtute.

3. In sermonibus devitent quaestiones difficiles et perplexas, in reprehendendis defectibus vincat severitatem benevolentia; personas nec nominatim nec certis quibusdam notis perstringant et omittant ingratas quaestiones mere politicas et nationales.

4. In praedicando spatium unius horae non excedant.

5. Ut afferant ad Missionem debitam cordis dispositionem, appropinquantes loco Missionis prece humili efflagitent divinam misericordiam, suffragia et tutelam B. V. Mariae et S. Patroni illius loci. Ingressi locum adeant ecclesiam devote Dominum messis oraturi, ut emittat manum suam de alto et det ministris suis assistricem sapientiam.

6. Pridie quam incipit Missio hora competenti modo solemniter paratur ingressus in Ecclesiam, ubi parochus ipsorum curae tradit oves suas imponendo Rectori stolam coloris violacei; cantatur hymnus „Veni Creator“ cum versiculo et oratione et fit sermo praeparatorius.

7. In ipsa Misione singulis diebus ternis sermonibus tractantur praecipuae veritates morales juxta themata a Provinciali vel Praeside singulis Missionariis assignata; si non sit causa specialis alia themata non tractentur. Ante singulos sermones indicatur ordo pro proxima die et dicitur Pater et Ave. Post sermonem dicto iterum Pater et Ave sub silentio datur benedictio consueta.

8. Satagent PP. Missionarii in suis sermonibus, ut inspirent animis odium peccati, absterreant auditores ab occasionibus peccandi; eradicare studeant inimicitias et rixas; inducant fideles ad frequentem et fructuosam susceptionem Sacramentorum; commendent tertium Ordinem S. P. N. Francisci et introducant, consentiente parcho, Congregationes Marianas, utpote valde idoneas ad fructus Missionis conservandos.

§ 4. De audiendis confessionibus.

1. Preamissa speciali instructione de peculiaribus status obligationibus audiantur confessiones primo parvulorum, deinde mulierum innuptarum, mulierum nuptarum, juvenum et ultimo virorum. Proxima die sequenti fiat generalis Communio, vel post sumptionem ss. Sanguinis, vel, ubi est concursus poenitentium permagnus, finita missa. Ante communionem nunquam omittendus est brevis sermo ad respectivum statum, habendus a Missionario, qui instructionem hujus status pertractavit. Accedentibus ad S. Communionem per parochum vel alium deputatum distribuuntur imagines memoriales S. Missionis, si adsunt.

2. Tempus, quo audiuntur confessiones, ita a P. Praeside distribuatur, ut confessarii per novem vel ad summum decem horas huic laborioso officio vacare possint, ita tamen, ut dum praedicatur, ab audiendis confessionibus desistant.

3. Quadrante ante prandium, quod erit meridie, sicut etiam ante coenam, detur tintinabulo sacristiae signum, ut confessarii se expediant et prompte ad communem refectionem conveniant.

4. In excipiendis confessionibus omnes confessarii in S. Missionis meminerint, quae dicuntur Eccli. 29. 27: „*Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam et attende tibi, ne incidas.*“ Unde

ne parcant labori nec ullum impatientiae vel admirationis signum exhibeant, sive poenitens gravissima peccata confitebitur, sive durum et parum contritum sese ostendet.

5. Fructus principalis Missionis in eo consistit, ut revalidentur confessiones sacrilegae, hinc maxima diligentia est adhibenda ad audiendas confessiones generales, ubi adest talis necessitas. Recipientes poenitentes in omni charitate et lenitate, timidis faciant animum, adjuvent imperitos interrogando de specie et numero mortalium et misericordes sint quoad dandam absolutionem, dummodo adsit dispositio poenitentis. Ad finem confessionis generalis semper moneant poenitentem, ut cogitet paululum, num aliud quid habeat, quod conscientiam mordeat. Ita debet esse, quantum in confessario est, ut omnis, qui confessus est in S. Missione, sit omnino tranquillus et paratus parere coram iudicio divino.

6. Quando peccator parum praeparatus et dispositus accedit, confessarius omnem lapidem movere debet ad dispositionem perficiendam, monendo, exhortando, arguendo ita tamen, ut fiduciam etiam suggerat atque viscera charitatis et misericordiae pandat. Id enim maxime cavendum, ne unquam poenitens offensus vel desperabundus discedat.

7. Longas exhortationes et nimias ac non necessarias interrogationes omittant. Caveant a nimia brevitate et quadam praecipitantia, qua poenitens non tranquillus redditur, sed, quod non semel accidit, alium confessarium adit conquerens, se non omnia dicere potuisse, quum confessarius nimis cito rem expedire voluisset.

8. In imponenda poenitentia sint discreti ipsaque non consistat in operibus extraordinariis nec ad longum tempus.

9. Quoad occasiones proximas, praesertim quoad familiaritates turpes diversi sexus, in specie urgeant, ut istae vel penitus et statim abrumpantur vel, si est spes matrimonii, saltem secreti conventus solius cum solo fugiantur.

10. Idem confessarii etiam propriam salutem animae servare studeant, hinc ante confessiones implorent donum sapientiae et fortitudinis bonaque intentione labores omnes in Dei gloriam et animarum salutem referant. In ipso confessionali diligenter custodiant tum cor, tum sensus, praesertim oculos; sic se habeant, quasi, quidquid in aurem poenitentis dixerint, praedicandum esset super tecta, quod praesertim attendendum est, si agatur de rebus inhonestis et cum conjugatis.

11. Cauti sint in decidendis casibus difficilioribus praesertim quoad sponsalia, dispensationes in impedimentis matrimonialibus et quoad restitutionem; ne accipiant ipsi pecuniam restituendam, nisi in casu necessitatis.

12. Tandem attendant, ut pro possibilitate uniformem teneant praxim imprimis quoad dandam absolutionem in casibus occasionis proximae, consuetudinis inveteratae etc.

§ 5. De devotionis exercitiis publicis.

1. Utroque sermone antemeridiano praecedat Rosarium B. V. Mariae quinque decadum et post sermonem legatur Missa coram exposito Sanctissimo Sacramento. Ante sermonem vespertinum fiat devotio S. Viae Crucis et finito sermone Litaniae B. V. Mariae cum benedictione Sanctissimi. (Cfr. 2.)

2. In die S. Communionis Generalis respectivus status invitetur ad visitationem Sanctissimi Sacramenti; parvuli per horae quadrantem, reliqui per mediam horam ante devotionem S. Viae Crucis.

3. Quotidie, excepta die ultima, sub nocte pulsatur campana major, ut parochiani recitent quinque Pater, Ave et Gloria Patri pro conversione peccatorum. Pro reconciliatione litigantium die, quo fit sermo reconciliationis, eodem tempore sub nocte pulsantur omnes campanae.

4. Quando fit sermo de B. V. Maria, accendantur in ornato ejusdem altari lumina.

5. Sermo ultimus (conclusio S. Missionis) fit coram exposito SS. Sacramento cum solita solemnī deprecatione.

6. In loco, ubi prima vice fit S. Missio et nondum existit Crux, quam vocant Missionis, fiat tempore opportuno benedictio publica et sollemnis ejusdem novae Crucis, quae deinde in processione potest deferri per vicum. Ubi autem Crux Missionis jam adest, fiat processio cum Sanctissimo, quam, prouti et illam cum Cruce, possunt fideles commitari cum lummaribus, ad quod faciendum invitentur versus medium Missionis.

7. Quando fit processio cum Cruce, finito sermone conclusorio, datur benedictio cum Sanctissimo absque cantu, et reponitur in tabernaculum. Finita processione in hoc casu Sanctissimum iterum exponitur, intonatur hymnus „Te Deum“ pro gratiarum actione et fit benedictio more romano. Si fit processio cum Sanctissimo, ommittitur prima benedictio finito sermone conclusorio et statim fit processio cum Sanctissimo.

8. Hisce finitis benedicantur cruces, rosaria, numismata etc. et datur Benedictio Papalis cum Indulgentia plenaria.

9. Ultima die invitentur fideles ad suscipienda Sacramenta, quorum fructus applicentur pro animabus in purgatorio.

10. Sequenti die fiat mane brevis sermo de animabus in purgatorio, Missa de Requiem (si talem admittit rubricae vel data est facultas ab Ordinario) et absolutio ad tumbam vel in coemeterio.

§ 6. De agendis post Missionem.

1. Omnes Missionarii, sicut generaliter eodem tempore in loco Missionis advenire debent, simul etiam debent recedere et unusquisque redeat ad suum Conventum, nec liceat alicui sine speciali P. Ministri licentia vel in loco morari, vel recreationis gratia alio declinare.

2. P. Praeses mittat ad P. Provincialem relationem distinctam tum de actis notatu dignis in Missionem illiusque fructu et numero communicantium, tum de harum ordinationum observatione.

O. a. m. D. gl.

Ljubljana die 1. martii 1900.

Fr. Constantinus Luser

Min. Prov.

